



cont. 2 ff. 4 fol

Sammelhof "

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30



14.

15

DE

TEMPLI POSTERIORIS
PRAE PRIORI
GLORIA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO

ET

ELECTORATVS SAXONICHEREDE,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ET INDVLTV

CELEBERRIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS,

IN ACADEMIA AD ALBIM,
EIVSDEMQUE

AVDITORIO PHILOSOPHICO,

AD D. XXX. OCT. A. G. R. c13 13 CCXV,

Horis Ante 5. Post meridiem consuetis,

publice differant

PRAESES ET AVCTOR,

M. HIERONYMVS WIGAND BIEL,

LVNEBURGENSIS,

AC RESPONDENS

THOMAS *Pfugner*/ ESTHO-LIVONVS.

VITEMBERGÆ

PRELO SCHROEDERIANO, ACAD. TYP.

DE
TEMPLE POSTERIORIS
PRAE PRIORI
GLORIA

REGIORE MAGNIFICENTISSIMO
PRINCIPIS REGIO

DAVIDERICUS AVGVSTO

ORDINIS

ANDRORIO THOMAS

M. HIERONYMVS WIGAND BIEL

THOMAS

FRISCO SCHROEDERIANO





DISSERTATIONIS nostrae frontem inspicienti, eamque cum *Priori* conferenti, dubium, de mutua inter sese *conspiratione*, alicui subnasci posse, facile subodoramur. Licet enim non in *ipsis terminis* contradictio; tamen in *propositionibus*, sibi invicem *iunctis*, quaedam subesse videtur, adeo, ut altera haec, in qua id nobis demonstrandum sumemus, quod *Posterius* Templi major, quam quidem *prioris*, fuerit Gloria, nuperam *Dissertationem*, in qua majorem *Priori*, quam *Posteriori*, vendicavimus Gloriam, e medio quasi submovere, et implicite minimum tollere videatur. Verum enim vero, cum ipse Spiritus Sanctus, ob causas, maxime urgentes, in uno, eodemque capite *Prioris* Templi Gloriam, supra *Posterius*, evchat, hujus vero gloriam verbis, multum in se ponderis habentibus, amplificet, ad contradictiones, non veras, sed *apparentes*, nostra quoque haec omnino est reducenda. Ex Aristotelis (a) enim sententia: *ἡ ἀντιφασὶς ἔσται τῆ ἀντιθέσεως, καὶ κατὰ τὸ ἀντὶ, καὶ πρὸς τὸ ἀντὶ, καὶ ὁμοῦ, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ* contradictio debet esse ejusdem, et secundum idem, et ad idem, et eodem modo, et eodem tempore. Jam vero, si vel unicum ex his requisitis deficit, contradictio non vera, sed *apparens* est, (b) *qualis et ista*, quam nos jam formavimus, se nobis objicit. Licet enim de *TEMPLIS JEROSOLYMITANIS* in *UTRAQUE DISSERTATIONE* agatur, est tamen *equivocatio* in voce *GLORIA*. Sumitur enim Gloria in *DISSERTATIONE PRIORE* pro *externo splendore, politico, et visibiliter*, sed in *POSTERIORE* *interne, theologice, & spiritualiter*, ita ut ad minimum eodem modo *UTRIUSQUE DISSERTATIONIS* inscrip-

(a) Lib. de Interpret. cap. 6.

(b) Sievogr. Disp. II. de contradict. p. 36.

ptionem adornatam fuisse, nemo unquam, nisi temere, asseverabit. Accedit, quod nec *tempus*, PRIORIS Templi Gloriam destinatum, tempori POSTERIORIS Templi Gloriam respondeat, cum a Solomonis extruptione, usque ad Chaldaeorum destructionem, Templum PRIUS in Gloria fuerit; POSTERIUS autem, uon nisi *paucis*, ante destructionem, annis, caput suum efferre, et inclarescere inceperit.

II. Impedimento igitur, quod obstabat, superato, inoffenso nunc, ad DISSERTATIONEM ipsam, pede per viam planiorem, aequè ac ampliorem, progredi nos posse, existimamus. De POSTERIORIS autem Templi Gloria, quatenus hoc ipsum, prae PRIORI Templo, plurimum celebrari merebitur, dum, ut inscriptio habet, agere instituumus; statim monemus, quod, sicuti PRIMAE DISSERTATIONIS argumentum ex HAGGAEI *Prophetia*, ejusdemque *secundo* capite depromissimus; ita et hujus Thematis illustrationem, ex eodem PROPHETA, *Prophetia*, & *Capite* perficere annitemur. Postquam enim HAGGAEUS, aedificio Templi surgente, fenestras illos aduocasset, qui PRIUS Templum viderant, et hoc, quod sub opificum manibus erat, nullius instar pronuntiasset, indeque acerbissimus optimorum virorum iustus obortus fuisset, tandem, ut suos solaretur, PROPHETA in istam os resolvit *prophe-
tiam*, per quam aperte constare debebat, fore, ut Templum, quod jam vilissimum in oculis, idem adspicientium, compareret, ad splendorem summum, et maximam Gloriam emergat, PRIUSQUE adeo Templum, multis quasi post se parasangis, relinquat. Hoc ut evidentiùs Propheta inculcaret; magnifico utitur (*a*) *Exordio*, dum parum tempus adhuc dum superesse, praenunciat, (*a*) quando coelum ac terra, mare ac continens commouenda, signis scilicet undique conspicuis, et ima summis committenda sint. Addit insuper, (*b*) fore, (*b*) ut hac in perturbatione Gentes quoque, ex omni Terrarum angulo, plurimum commoveantur, atque se demum *דְּמִיָּה לְהַרְבֵּהּ דְּדִסְדִּירָא* desiderium omnium omnino, nulla excluda, Gentium listat. Ne autem
Judaeis

(a) v. 6. (b) v. 7.

Judæis HAGGAEVS patrocinarî videatur, qui vaticinium hoc non aliter, quam quod nostris adhuc temporibus implendum sit, interpretantur, insuper (3) et quidem verbis certis, atque clarissimis, in hoc ipso oraculo declarat, quod sua haec Prophetia, stante adhuc *hoc ipso*, quod erigebatur, Templo, complementum suum consecutura sit: **את הבית הזה כבוד** inquit **ושל יתי** *et hanc ipsam domum Gloria implebo*. Haec vero Gloria, qualis esse debeat, uti ex antecedentibus Prophetæ verbis dilucide constat: sic porro, et (4) quidem Vates inculcat, (a) quod non *aureum* vel *argenteum* quoddam Templum, quale quidem ex nutu divino facile extrui potuisset, expectandum sit, sed, quod sapientissimo Numini, Populo suo, ratione multum nobiliori, providere, placuerit, Templi itaque POSTERIORIS Gloriam majorem, quam prioris fuerat, vel inde (5) evincere conatur Prophetæ, (b) quod, licet auro, argentoque illud prius coruscaverit, non autem sic Posterius: **גדול כבוד** *major Gloria* POSTERIORIS *Domus* *prae* PRIORI concipienda sit. Et ne quis de vaticiniî veritate quidquam dubitet; addit tandem per subsequentiâ Prophetæ (6) *Gloriæ modum et rationem* **ובמקום הזה אתן שלום** *et in hoc loco dabo pacem*, pacem nempe *spiritualem*, non temporalem, qualis in *Templo Posteriori*, fere nulla, vel saltem non diuturna fuit.

III. Verba sane Haggæi, luce meridiana sunt clariora, et ita quidem comparata, ut non tam prophetica, quam *evangelica* esse videantur. Coecutientes interim Judæi, et lucem videre nescientes, omnem hic movent lapidem, ut Prophetæ sensum, qui admodum in se perspicuus est, pervertant, et in suam, suorumque perniciem eundem detorqueant. In tres autem Recutiti abeunt turmas, utpote qui in eo quidem, ut scripturas enervent, consentiunt, in *modo* autem, illud perficiendi, non parum a se invicem discrepant. Sunt enim, (1) qui de *Tertio* Templo, adhuc futuro, Prophetæ verba exponunt, sunt, (2) qui HAGGAEUM, de *Herodiani* Templi Gloria disse-

A 2

rentem,

(a) v. 8. (b) v. 9.

rentem, inducunt, et sunt denique, (3) qui ad *Posterioris* Tem-
 pli *durationem* confugiunt. Inter eos, qui primae parti addi-
 cti sunt, ABARBANEL inprimis numerandus est, qui voecm
 ככור *spiritualiter* quidem interpretandam esse, non negat: sed
 tamen insuper addit, quod Propheta ad Templum quoddam
Tertium, in diebus *Messiae*, quem modo expectat, *corporaliter*
 suscitandum, respiciat. Nam, postquam multis verbis, Chri-
 stianorum, ex HAGGAEI pharetra desumpta; tela retudisse, et-
 iam contribules, qui ad aliud asylum, ex quo Prophetiae vim
 et nervos, omnium optime, eludere existimabant, se receperant,
 refutasse sibi visus esset: concludit tandem (a) ויצא לנו מזה
 שהפרשה הזאת לא נתקיימה עד כה ליתקיים בימי הגאולה
 concludimus proin, quod non sit *Propheta* huc usque impleta, sed
 quod adhuc *redemptionis* tempore, quod expectamus, implenda sit.
 Nos cum hoc de argumento! in *Priori* jam tum *Dissertatione*,
 quando inscriptionis rationem reddere studeba-
 mus, nonnullae monuerimus, merito igitur inpraesentiarum eo-
 erimus breviores, quo plura et stringentia Argumenta ibidem
 adduximus. Nec operae etiam erit pretium, ut Rabbinum hic
 prolixius refutemus, postquam distincte *Propheta ipse*, in loco,
 quem allegavimus, et quem obfuscare ABARBANEL inprimis
 annisus est, eundem refutet. Nam (1) de eo Templo HAG-
 GAELUS loquitur, quod *Zorobobelus* struebat, *Judaei* intuebantur,
 contemnebant, desebant. De hoc enim ipso Templo, הכית הזה
 non de alio vaticinatur, fore, ut Gloria adimpleretur,
 Porro et (2) *perspicuam* et *immediatam* inter Templum hoc ZO-
 ROBABELIANUM et SOLOMONAEUM proponit *distinctio-*
nem, et huic quidem *externae*, illi autem *internae* et *spiritualis*
 Gloriam majorem *gradum* attribuit, Accedit (3) quod *Propheta*,
 Tempus futurae Gloriam describitur, per verba עור ארור מעט
 adhuc est *admodum modicum*, stylum suum ita infor-
 met, ut *tempus*, implendae hujus Prophetiae, non adeo remo-
 tum esse, aperte indicet. Quando vero duo annorum millia
 cum

(a) in comm. in Proph. Postea speciatim ad h. l. fol. 278. col. 4. ed. Amst.
 item in comm. in Proph. pr. fol. 230. col. 2. ed. Lipsi.

cum duobus centenis, et amplius, ab edito hoc oraculo, praeteri-
 isse, deprehendimus, quis sibi hoc esse modicum temporis, quae-
 so, concipere unquam poterit. Et quando demum, dic mihi,
 Apella, *Tertium* tuum Templum futurum, expectas? forsan ad
 ealendas graecas. HAGGAEUS certe, cujus verba Judaei, ad suum
Tertium Templum probandum, detorquent, destruit potius (4)
 Templum hoc, quandoquidem idem istud, de quo loquitur,
 non aliud, quam Zorobabelianum, est, de quo pronunciat,
 quod *postremum* futurum sit. Nam $\tau\acute{o}$ אֲדָרָה, si $\tau\acute{o}$ אֲשֶׁנָּה
 opponitur, rem *posteriorem* et *postremam* (a) indicat, omnem-
 que profus *successionem* excludit.

IV. Ad haec quatuor argumenta, quae mihi ipse HAG-
 GAEUS suppeditavit, quid respondeant Circumcisi, ipsi vide-
 rint; nos merito ex his PROPHE TAM, de Templo aliquo *Ter-
 tio*, nunquam futuro, sermonem non instituere, inferimus. Sed
 nec HAGGAEUS Templum, quod *Herodes* longe postea in-
 staurari curavit (prout nonnullis videtur Judaeis (b)) in suo va-
 ticioio describit. Etenim (1) Propheta Templi Gloriam in pa-
 ce *spirituali*, non in externa aliqua eminentia, qua Herodis ae-
 dificium eminuisse dicitur, collocat. Et si (2) vel maxime de
 pace externa, et terrena, Prophetae verba explicarentur; hanc
 tamen nobis *Judaei*, post reparatum *Herodis* Templum, mon-
 strare tenentur; cum in *Priori Dissertatione* satis, superque ostensum
 sit, Judaeos a Templi reparatione, ab Herode tentata, neq; pacem,
 neque libertatem habuisse, sed *stragibus, minis, terrore*, tum ab
 HERODE, ejusque PROGENIE, tum a Judaeae PRAEFECTIS
 misere divexatos fuisse. Observandum (3) est, quod per
 HERODIS molimina, non novum aliquod Templum conditum,
 sed *veteris* solummodo Templi, et quidem *non totius*, sed *interi-
 oris* tantum *Domus*, et *aedificiorum* structuram, quae successu tem-
 poris erant labefactata, et ruinam minitabantur, (prout in §. 4.
 PRIORIS DISSERTATIONIS demonstravimus,) reparatam fu-
 isse. Jam veroposito etiam, sed non concessio, quod *Herodes*

A 3

novum

(a) אֲשֶׁנָּה מִכָּלֵל fol. 17. col. 3.

(b) Conf. 1. Reg. VI. et VII. l. Par. XXII. et 2. Par. III.

novum Templum, quod a *Zorobabeliano*, quoad omnes partes, *distinctum* fuisset, extrui curaverit; concedendum tamen erit. (a) *Prophetam* ad hoc Templum, quod jam Judaei aedificabant, scilicet ad *הבית הזה* ad *praesentem Domum*, digitum quasi suum extendere voluisse. Et si hoc quoque Judaeis liberaliter indulgeretur, necessarium tamen est, ut solidissimis rationibus, *οἱ εἰς ἑναντίας*, porro, quidem & (γ) evincant, quod Templum, ab Herode adornatum, auri et argenti abundantia; arcae item amplitudine, ac aedificatorum plurium ornatu, vasorumque, ad sacrum usum destinatorum, sine fine, multitudine, *Solomonaeum* (a) Templum longe, et ita quidem superaverit, ut Templum illud supra hoc, tam magnifico laudis praeconio, jure ac merito suo, *PROPHETA* extollere debuerit. Denique (6) si quoque hoc ultimum, cum superioribus omnibus, quae tamen sunt validissima causae nostrae propugnacula, Circumsectis, ex singulari erga miserum *indultu*, daretur: ultro tamen confitentur, *quinque* istas partes nobiliores, a DEO et MOSE profectas, defecisse, quae utpote semel deperdita, cum nullo auro et argento, nullis divitiis, ne *Solomonis* quidem, multo minus *Herodanis*, denuo comparari potuerint; nobis omnino concedendum erit, quod ob earum defectum *HAGGAEUS* supra domum *Solomonaeam* *HERODIS* structuram non evehere, atque adeo de *HERODIS*, secutura, *Templi* reparatione vaticinium fundere non potuerit. (a)

V. Quare cum neq; priori, neq; posteriori modo, *Judaei* se expedire valeant, plures *Tertium*, tum *Herodianum*, in quantum illud a *Zorobabeliano* distinctum fuisse, somniant, tum adhuc longe post illud, *nescio quod*, expectandum, *Templum* deserunt, afferuntque, et quidem rectissime, *HAGGAEUM* de Gloria *Templi*, quod, ipso vaticinante, struebatur, praenuntiare; sed male, quod aliam illius Gloriam causam, quam quae a *Vate* sancto allata est, ipsimet fingere sustineant, eamque in aliquot *duarum* annis collocent. Sic enim *Solomo Ben Melech* (b) ad hunc locum commentatur: *יש אומרים בשנים: כי בית ראשון עמד תו שנה ובית שני תך* *Sunt, qui ad an-*

nos

(a) Pfeiffer, dubia Vex. p. 862. (b) מכלל ופרי I. c.

nos respiciunt; quando scilicet, primum Templum 410 annos, secundum autem 420 sterisse, existimant. Quod si vero in Chronologorum calculum inquirere hic nobis liceat; satis quidem accuratos, in computatione annorum PRIORIS TEMPLI, (si de laxiore calculo, non de correctiore sermo est) Judaeos hic deprehendimus; at, si ad POSTERIUS TEMPLUM paulo accuratius attendimus, nimium quantum in numeris idem aberrarunt. Annos enim ad minimum 150, in calculo suo POSTERIORE, istos neglexisse, optimae notae, Chronologi observant. Nos, qui huius Judaici calculi rationes copiosius non investigamus, potius ad sequelam, quam male sani ex eodem eliciunt, attendimus. Cum enim ex Judaeorum hypothesi TEMPLUM POSTERIUS 10 annos serius, quam prius, Deo Protectore, devastatum sit, in promptu esse putant, cur illud, praeboc, ab HAGGAEO plurimum celebretur. Sed ineptae huic conclusioni, quae opponere possumus, non pauca nobis suppetunt argumenta. Nam (1) falsum est, alicujus aedificii GLORIAM, a *duracione* peti posse; alias casa rustica, quae plures annos, ut lapsum praecaveret, fuleris incubuit, aureum. Regis Palatium, quod exstructum primo, vel non tam antiquum est, sed vel flammis, vel alio casu subito perit, Gloria antecelleret. Accedit, (2) quod illa duratio, a qua POSTERIORIS TEMPLI Gloriam derivant *Judaei*, ex horum, hypothesi, decem solummodo annis diuturnior, quam PRIORIS fuerit. Quis itaque sibi imaginari potest, quod *Propheta*, ratione ad *hos paucos annos* habita, POSTERIORIS, supra PRIUS, Templi Gloriam tam *fuse*, et tam *emphatice* evehere voluerit. Et si vel maxime (3) *verus JUDAEIS calculus* indulgeatur, qui supra 420 adhuc 150 annos, et quod excurrit, POSTERIORI TEMPLEO tribuit, nihil tamen inde Judaeorum argumento roboris accedit; cum ab annis ad Gloriam non valeat consequentia. Imo contrarium potius (4) elici inde poterat; cum anni rei alicujus vilitatem non tollant, sed potius *augeant*, adeo, ut cuius turpitudinem jamdudum oblivio occultasset; memoria tamen, semper praesens, oblitterari non sinat. Jam vero cum
Templi

Templi sui vilitatem sponte consentitur JUDAEI, qui ad *antiquitatem* ejus confugiunt, haud gravatim nobis hi ipsi concedent, quod, quo plures annos POSTERIORI TEMPLO assignent; eo plures etiam, suae vilitatis testes, eidem attribuant, causae adeo nil quicquam habeant, cur, POSTERIUS *hac ratione*, PRIORI anteferendum esse, existiment. Insuper observamus, (5) sanctum Dei, ad reverbos captivos, Oratorem, *nul- lam* annorum in Textu nostro habere rationem, neque in iis veram POSTERIORIS TEMPLI Gloriam, sed in rebus longe diversissimis, constituere. Neque etiam JUDAEOS (6) *Templi* restorationem, quam jamdudum pluribus suspiriis optaverant, sed potius illius *vilitatem* deslere voluisse, conjectu vel inde est facillimum, quod nihil istis Judaeis, de Templi, quod in altum exsurgebat, aetate, tum quidem temporis, constiterit. Ex quibus omnibus rectissime, ut putamus, colligi potest, quod HAGGAEUS TEMPLI, suo tempore erecti, Gloriam descripturus, nequaquam ad ejus durationem oculos, mentemque, vertere, istiusque potissimum rationem habere voluerit.

VI. Rejctis igitur tribus Judaeorum hypothesibus, quae in HAGGAEI verba perinjuriae sunt, reliquum est, ut veram causam, ob quam POSTERIORIS Templi Gloriam PRIORI praetulerit *Propheta*, paulo penitius contemplemur. Non autem hic externa Gloria, non auri, argentique splendor, non amplissima areae capacitas, non apta Domus, Conclavium, Porticum, et omnium, quae ad TEMPUM PRIUS spectabant, tum in suis partibus, tum inter sese, compages, sed nobis solummodo ab HAGGAEO *spiritualia* monstrantur, quae tantum superioribus, quantum terrae coelum praecellit. Apparet hoc (1) ex Magnifico *Exordio*, in quo PROPHETA praenuntiat, fore, ut, stante adhuc TEMPLO SECUNDO, coelum et terra, mare et continens, moxque Gentes omnes commoveantur. Ubi absurdus est R. Afarias Idumaeus, qui in **מאור עינים** (a) Haggaeum ad eam commotionem respicere putat, quae inter omnes Gentes, ALEXANDRO Macedone ubique terrarum victore facta

(1) מכלל חפי l. c.

re, facta est. At enim vero, quomodo coelū et terra, ALEXANDRI tempore, commota, dici possunt? Quomodo ALEXANDER desiderium Gentium audit, qui potius exitium Gentium, & Dei inter eas flagellum dici, meretur, & quem infortunium hominum vocant ARABES, hominē nimirum, habentem duo cornua.

(a) De signis ergo Propheta loquitur, quae in diebus MESIAE futura & quidem in omnibus, quae in toto Terrarum orbe existunt, locis praevidebat; additque, quod, signis hisce ubique conspicuis, etiam Gentes commovendae, id est, excitandae, convertendae, atque in ecclesiae gremium recipiendae sint. Et, ut nemo, vel de veritate hujus explicationis, vel de spiritualibus TEMPLI POSTERIORIS promissionibus dubitet; quae sequuntur, (a) perpendat: *tum veniet (pergit Vates) omnium Gentium desiderium.* Conferri hic MALACHIAS meretur, qui in describendo MESSIA occupatus, (b) *Dominum, quem vos, Judaei, quaeritis, & Angelum foederis, quem desideratis,* appellat. Erat ergo MESSIAS Gentis Judaicae desiderium; sed ita, ut omnium quoque, quotquot sub coelo commoraturae erant, Gentium anxius, & votis, & suspiriis, excipi deberit. Tantum vero abest, ut in hoc argumentum, quod nostri non est fortis, fusus jam nunc inquiramus, ut potius spirituales promissiones, in quantum instituti nostri ratio permittet, in HAGGAEI oraculo strictim observemus, atque adeo (3) de pace praedictionem, quam statim subnectit *Propheta*, paucis examinemus. Postquam *Templum Posterius* idem ille supra *Prius* extulerat, in eo unice est occupatus, ut ostendat, quod non in alia re, quam in pace, praerogativa haec quaerenda, atque collocanda sit. Et certe hoc vocabulo omnium bonorum abundantia, omniumque malorum absentia indigitatur, & ita quidem, ut nesciam, an voce vividiori ECCLESIAE N. T. beatitudo, quae, *Templo Posteriori* adhuc superflite, coepit, delineari queat. Atque hinc sine dubio est, ut *Prophetae*, qui, ad unum, omnes in statu ECCLESIAE N. T. adumbrando, frequentissimi

B sunt,

(a) Spanhem. in addendis [ad Chronol., p. 89. lin. 9. ed.] Lugd.
 (b) Cap. III. v. 3.

sunt, **שְׁלֹמֹה** notione potissimum utantur, & indicem quasi digitum extendant, ad statum ECCLESIAE felicissimum, qualis SOLOMONE in primis imperante, sub quo **שְׁלֵוֹ**, pax altissima, & maxime diuturna obtinebat. Sed **Ἰδὲ πλείων Σολομῶντος ὡδε**, (a) nimirum ille Rex Regum, & verus Solomo, cujus ille tantum Typus, & cujus pax divina, spiritualis, interna, non humana, corporalis, ac externa est. Recte itaque HAGGAEUS per pacem TEMPLI POSTERIORIS praerogativam describit; quoniam ante ejus destructionem nostram pacem, nostrum Solomonem, nostrum Mediatorem nascentem, omniaque, quae ad pacem nostram spectant, promerentem, & Gentibus sua Beneficia exhibentem, mente atque oculo prophetico praevidebat. Quae contra hanc genuinam Textus nostri explicationem, a *Judaeis & Judaizantibus Christianis* objici communitur solent, (b) ista indigna prorsus sunt, quae sub virgulam atque censuram nostram revocentur. Monuisse hic nobis sufficit, quod *Judaeis* ipsius TALMUDIS auctoritas maximum obstat, quando idem, R. AKIBA auctore, nostram *Propheciam* de MESSIA, in DOMO SECUNDA expectando, similiter exponit. (c)

VII. Quod si nunc haec omnia, quae in *Thesi* de MESSIA praedicta sunt, in *Hypothesi* ad JESUM CHRISTUM applicemus; cuncta, (i) ipso nascente, pacem acquirente, ac annunciante, commota fuisse legimus. Cum nasceretur, (d) baptizaretur, (e) in monte glorificaretur, (f) ad mortem properaret, (g) resurgeret, (h) in coelum ascenderet, (i) *Protomartyri* in solamen & adjumentum adpareret, (k) PETRUM ad Gentes ablegaret; (l) *coelum* omnino commoveri, ejusque quasi valvae aperiri videbantur. Neque etiam terra potuit stare immota, eo potissimum tempore, quo CHRISTUS spiritum suum

(a) Matth. XII. v. 42. (b) **מכיל יוסף** fol. cir. col. 4. (c) Sed. נזיקין lib. 4. Sanhedrin et. Quenst. part. 2. Syst. Th. p. 174. ed. noviss. (d) Luc. II. v. 10. 13. (e) Matth. III. v. 16. (f) Matth. XVII. v. 5. (g) Joh. XII. v. 28. (h) Matth. XXVIII. v. 2. (i) Marc. XVI. 19. (k) Act. VII. v. 56. (l) Act. X. v. 10, 11.

tuum Patri reddiderat, sed, petris ruptis, monumentisque a-
 pertis, plurimum concussa est. (a) Spectat huc quoque iste ter-
 rae motus, qui, JESU iterum surgente, obortus est. Imo
 etiam ad preces fidelium, non multo post CHRISTI adscen-
 sum, terram quoque subfiliisse deprehendimus. (b) Nemo i-
 taque amplius dubitabit, quin in omnibus *Prophetia HAGGÆI*,
 commotionem non coeli tantum, & terrae, sed & maris, quae,
 commota terra, non potuit non simul *commoveri*, praedicientis,
 adimpleta fuerit. Ad tot vero signa & prodigia, in firmamen-
 tis visa, homines obstupuisse, & cum commota terra & coelo,
simul commotos fuisse, mirum non est; licet ex JUDAEIS &
 GENTIBUS non deessent, qui Spiritus S. post tot ubique se-
 manifestantia prodigia, *motui, motum alium*, varias, puto, perfe-
 cutiones, opponere studerent. Initium hujus motus, JO-
 HANNE baptizante, factum est, utpote ad quem *Jerosolyma*,
Judaea tota, & *Jordanis* fluvio vicina, regio deproperabat. (c)
 Exhibito autem, & se omnium oculis sistente Salvatore, mox
 tota *civitas*, (d) mox totus fere *mundus*, (e) ne parvulis quidem,
 & Gentilibus exceptis, ad eum congregabantur. Quae omni-
 um *Gentium commotiones* ad *Apostolorum* praeconium factae
 sint, eorum ACTUS loquuntur, ita, ut ante Pauli vincula us-
 que ad *Illyricum* Evangelium, & cum eo *motus*, (f) testante
 Paulo, penetraverit. Nec fieri hoc aliter potuit, cum JESUS
 MESSIAS iste esset, qui, praedicente (2) HAGGÆO, *omnium*
Gentium esse debuit *desiderium*. Quod enim, sub ipsis nati Ser-
 vatoris temporibus, & amplius, *Judaei* MESSIAM summo pe-
 re *desideraverint*, non tantum SIMEOMIS, HANNÆ, & pluri-
 um, qui redemptionem & Solamen *Israelis* expectabant, (g)
 exempla, hominum item, ad *Johannis* baptisma (h) conten-
 dentium, adfluxus, sed & comprobatur *falsorum Messiarum*
 numerus, qui Gentis spem non excitabant, sed misere potius
 deludebant. (i) Quo propiora erant *Messiae* tempora;

B 2

eo e-

(a) Matth. XXVII. (b) Act. IV. v. 31. (c) Matth. III. v. 5. (d) Marc.

I. v. 33. (e) Joh. XII. v. 19. (f) Rom. XV. v. 19. (g) Luc. II. v. 25-38.

(h) Lightfoot, Hor. Hebr. & Talm. p. 216. (i) Matth. XXIV. 24.

eo erant flagrantiores omnium animi ; id , quod , vel ad prima Novi foederis tempora recurrentem , latere non potest. Hoc autem , quod , HAGGAEO praenuntiante , *omnium Gentium* esse debebat *Desiderium* , eam potissimum ob causam in iisdem excitabatur , quod (3) pacem cum Deo & conscientia sua , hac solummodo ratione , obtineri posse , existimabant. JESUS enim est *pax illa vera* , quam ad praesepe ejus canebat totus Angelorum chorus , (a) & quam ipse ex sepulchro Discipulis , totique Ecclesiae deferebat , (b) non pax caduca , quae hujus est mundi , sed quae a JESU CHRISTO parta erat. (c) *Χριστός γὰρ Ἰησὺς ἐστὶν ἡ εἰρηνὴ ἡμῶν , καὶ ἐλθὼν , ἐκηγγέλισατο εἰρηνὴν τοῖς μακροῦν , καὶ τοῖς ἐγγύς.* (d) Et cum haec Evangelii summa sit , cui reconciliatio nostra cum Deo , omniaque Evangelii Beneficia , & Salutis Media innituntur : mirari quis verba Servatoris posset , se venisse dicentis , *non ut pacem , sed gladium Mundo portenderet.* (e) Verū enim vero , probe hic tenendum est , quod de pace *terrena* , & de *concordia* inter Cognatos & Affines , Magistratum & subditos , Heros & Servos CHRISTUS loquatur , praedicatque , fore scilicet per *accidens* , ut ad Evangelii vocem , varii ordinis , ac sexus , homines tumultuarentur. (f) Quod autem ad *spiritualem* attinet pacem , de qua HAGGAEUS vaticinatur , hanc , tantum abest , ut CHRISTUS Mundo surripuerit , ut potius clementissime illam isti indulserit , & Templi POSTERIORIS tempore acquisiverit , eaque , acquisita , *Gentium Desiderium* impleverit , et , ad pacem recipendam , omnes invitaverit , excitaverit , commoverit.

VIII. Tum in *thesis* , tum in *hypothesi* omnia , quae futura praedixit HAGGAEUS , temporibus MESSIAE respondere percepimus , quae , cum in POSTERIORIS Templi , adhuc spirantis , tempora inciderint ; Templum hoc summopere nobilitarunt , et supra PRIUS , ratione prorsus ineffabili , extulerunt. Si quis vero nobis hic *quinque istos defectus* , *aliaque* , de quibus ,

(a) Luc II. v. 14. (b) Joh. XX. v. 21. 26. (c) Joh. XIV. v. 27. (d) Eph. II. v. 14. 17. (e) Matth. X. v. 34. (f) vid. Glaff. Philog. p 822, 1497 & 2105. ed. noviss.

bus, utpote in POSTERIORI Templo desideratis, Judaei, in prima Dissertatione a nobis introducti, multum conqueruntur, objiciat, istis regerimus nos, quod omnino omnia ea, quae PRIORI Templo fuerant ornamento, *spiritualiter & in excellentiori quidem gradu*, in POSTERIORI quoque fuerint, quemadmodum per partes eunti, NOVUMQUE TESTAMENTUM cum studio consulenti, obscurum esse non potest. In Templo SECUNDO *Ignis* deerat, qui in TABERNACULI & TEMPLI encanisi miraculi in modum de coelo submittebatur. Sed in hoc ipso POSTERIORE Templo *Ignis caelestis* praesto est; istiusmodi scilicet, qui, per consuetam Scripturae *av. & q. n. o. a. d. e. i. a. v.*, (a) DEUS ipse, a Mose, & Apostolo vocatur; adest hic SECUNDA in Trinitate PERSONA, quae se non iratam, (uti ignis irati Dei saepius symbolum est) sed *gratiosam* praebet; quemadmodum ignis, de coelo ad altare, recens dedicatum, missus, *Divinae Clementiae* signum erat. Descendit JESUS de coelis, (prout sex vicibus in VI. Cap. Joh. inculcat) eum in finem, ut *ignem*, (b) *ignem* scilicet *Evangelii*, in terram mitteret, quo corda, tenebris immersa, illuminaret, ac in Dei & Proximi amorem accenderet, atque eos, quibus tenebrae lumine sunt dulciores, suo tandem igne absumeret. Notandum quoque hic est, SPIRITUM SANCTUM in *Ignis* simbolo in PENTECOSTIS festo de *coelis* descendisse, & ori, cordique Apostolorum infedis. (c) Quod si nunc PAULUS fidelium corda *Vitimas* (d) vocat; Apostoli quoque *Vitimae*, Deo acceptae, & in festo solenni, in quo plures ad Dei mandarum erant offerendae, *vitimae* oblatae sunt. Ast, tum demum *hostiae*, Deo gratae, exhibebantur, cum *ignis* instar SPIRITUS S. illis illaberetur, & devotas Apostolorum mentes, in suavem Dei odorem consecraret. Ut ut enim antea quoque Apostolorum corda sacer hicce ignis invaserit: (e) attamen, si cum *hoc igne*, in festo PENTECOSTIS Ecclesiae Doctoribus immisso, priorem *conferre* velimus, pro *scintillis* tantum iste habendus erit, quae *majoris gradu, luce & effectu* a SPIRITU S. in hoc ipso festo, dato

B 3

Aposto-

- (1) Deut. IV. v. 24. Hebr. XII. v. 29. (b) Luc. XII. v. 49. (c) Act. II.
 (d) Rom. XII. v. 1. (e) Matth. X. v. 20. & Jo. XX. v. 22.

a postolis, sub visibilibus signis, *παρεκλήτω*, inflammabantur. Ex his ita adductis, *ignem sanctum* in Templo POSTERIORI, & quidem *eminentiori gradu* adfuisse, abunde satis, ut opinamur, cognoscitur.

IX. Sed nec defuit in eodem Templo FOEDERIS *αρχα*. *Ἡνοσίγῃ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἕβραϊῷ, καὶ ὠφθη ἡ ΚΙΒΩΤΟΣ τῆς διαθήκης ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ.* (a) Equidem, quid hic per Foederis arcam intelligatur, non multis scrutabimur, cum satis constet, quod medium Foederis cum Deo, nullum aliud, quam Dominus noster JESUS CHRISTUS, concipi possit. Expresse enim SERVATOREM APOSTOLUS (b) *διαθήκης νέας μεσίτην* nuncupat, atque eo ipso subinnuit, quod JESUS Foederis arca dici mereatur, sed *novi*, quale non *externum*, sed *internum* est. (c) Arcae autem tegumentum *Propitiatorium* erat, (d) quod, arca ablata, non potuit non simul auferri, Temploque POSTERIORI subduci. Sed salva res est. *Χριστὸν Ἰησοῦν προέθετο ὁ Θεὸς ἸΛΑΣΤΗΡΙΟΝ διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτῷ αἵματι, εἰς ἕνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν παράσιν, τῶν προγεγονότων, αἰματημάτων.* (e). Ubi verbis, admodum emphatice conceptis, Deus praedestinasse JESUM dicitur (1) *Propitiatorium*, (2) *in sanguine ejus*, non hircorum, (3) *per fidem*, non per annum Pontificis in *Sanctum Sanctorum* introitum, & (4) in nostram *justificationem* & peccatorum, etiam Servatoris tempora antecedentium, omnimodam & perfectissimam *expiationem*. Etenim *Θεὸς ἦν ἐν χριστῷ, κόσμον καταλλάσσειν ἑαυτοῦ*, dicit Paulus, (f) & tacite simul infert, quod Christus, utpote in quo Deus mundum sibi reconciliavit, summo jure *Propitiatorium* dici possit, & cum iste in Templo POSTERIORI *corporaliter* adfuerit, etiam *Propitiatorium* adfuerit, sed *verum*, *divinum*, & *coeleste*; non in Typo, & humana opera confectum. Observandum inluper est; MOSEN ad Dei mandatum (g) *Propitiatorio Cherubini* addidisse, quorum facies ad illud essent conversae. Ad nostrum vero *Propitiatorium*, qui *Cherubini* respiciant, ex Petro (h) apparet,

(a) Apoc. XI. v. 19. (b) Hebr. XII. v. 24. (c) Conf. Jer. XXXI. v. 31. cum Hebr. VIII. v. 8. et Spanhem. Elenchum controv. p. 551. & seqq. (d) Exod. XXV. v. 21. (e) Rom. III. v. 25. (f) 2. Cor. V. v. 19. (g) Exod. XXV. v. 31. (h) 1. Petr. I. v. 12.

paret, qui de ANGELIS refert, eos in mysterium de Christo, & totam Gratiae oeconomiam παραύψαι, id est, incurvatos inquire-
re ac introspicere desiderare. Ex quibus non modo FOEDERIS
arcam, sed quoque omnia, quae ad arcam spectabant, spiritualiter
in TEMPLO SECUNDO adfuisse dilucide patescit.

X. At enim uero, non tantum ea, quae ad arcam pertinebant,
sed et quae IN arcam a Mose erant illata, ultimis POSTERIORIS
TEMPLI temporibus, conspicua fuere. Licet enim haec et (1) qui-
dem τὰς πλάνας τῆς διαθήκης, quae DEI manibus exaratae
erant, et hominibus, committenda & omittenda, addito vitae
praemio, sed et mortis poena, monstrabant, non amplius TEM-
PLUM hoc possederit: tamen, cum omnia legis munita esse qui,
homini sit ἰδιότατον; tantum abest, ut in NOVO FOEDERE
hae perosae tabulae iterum comparuerint, ut potius CHRIS-
TUS nos omnes a legis maledictione redemerit, (a) et χειρό-
γραφοῦν illud, quod contra nos erat, deleverit, (b) adeo, ut, te-
stante Paulo, (c) non amplius Iusto lex, nimirum in condemna-
tionem, posita sit. Neque etiam tabulas, DEI manu confectas,
in POSTERIORE TEMPLO adfuisse quisquam inficiabitur, qui
ad CHRISTUM, χειροτέγρα τῆς ὑποσάσεως τῆ πατρὸς, (d)
eiusque corpus, in cruce expansum, quod divinam uoluntatem,
praepriis credenda; (si Pauli (e) uerba hic applicare nobis con-
cedatur) ἐκ τῆ πλάξ, λιθίναις, ἀλλὰ ἐν πλάξ σαρκίνας, homini-
bus exposuit, respexerit. Ut ut (2) in TEMPLO POSTERIO-
RI etiam MANNA, in perpetuam miraculosae cibationis me-
moriā, asseruatum, amplius non extiterit; Seruator tamen
hunc defectum copiose supplet: ἐγὼ εἶμι, inquit, ὁ ἀστὴρ
τῆς ζωῆς, (f) quibus Manna Mosaiico, de quo Iudaei, quod
de caelo delapsum fuerit, multum gloriabantur, tanquam Ty-
po, sc. utpote Antitypium, opponit. CHRISTUS enim maiore
iure Manna, de caelo missum, censei potest, quia non modo,
de altissimo coeli throno, ad nos ire dimendos, descenderit; sed
nos quoque sua GRATIA, uere Manna illo abscondito, (g) quo,

(a) Gal. IV. v. 5. (b) Col. II. v. 14. (c) 1. Timoth. I. v. 9. (d) Hebr. I.
v. 3. (e) 2. Cor. III. v. 3. (f) Joh. V. v. 35. (g) Apoc. II. v. 17. vid.
Glassii Philog. S. p. 1884. ed. noviss.

qui saturatur, nunquam, promittente CHRISTO, (c) esuriat, cibatur. Quapropter TEMPLO PRIORI Manna, in angusta urina inclusum, prout remittimus, et nouissima POSTERIORIS TEMPLI depraedicamus tempora, in quibus *Manna coeleste* omnibus per *Evangelium* est propinatum. Nec est, quod (3) quoque ad floriferam *Aaronis Virgae*, in TEMPLO POSTERIORI, defectum, qui PRIORIS Gloriam urgent, prouocent. Et enim Esaias nobis *uirgam hanc* uirentem monstrat, dicens: **יֵצֵא הוֹטֵר מִגֹּזֵר יֵשִׁי וְנֹצֵר מִשְׂרָשִׁיּוֹ יִפְרֹרֵהוּ** *ex tunc Isai virga exhibit, et surculus ex radicibus eius erit fructuosus.* (a) Constat ex *Numeris*, (b) quod, miraculi in modum, decerpta de stipite, Virga in una nocte germinare, fructumque protrudere coeperit. Sic SERVATORIS *conceptio*, et ex *Virgine*, *truncoque ISAI*, id est, tali DAVIDIS Familia, quae inter splendidissimas tum temporis, regio de stemmate, Familias, *abscissi trunci* instar erat, *natiuitas* admodum miraculosa fuit. (a) Cum autem haec florida *Virga* sese in TEMPLO SECUNDO stiterit; adfuit omnino viridis illa Virga, si non AARONIS, ISAI tamen, et, ad aeternum sacerdotium indicandum, (sicut illa Virga, Sacerdotii, Aaronis nepotibus concrediti, perpetuus testis erat) MELCHISEDECI. Quid autem (4) de MOSIS *ἀνώγειάφω* regeramus, quod cum superioribus *κειμήλις*, toto TEMPLI POSTERIORIS tempore, desideratum est? Hoc licet diffiteri nequeamus: diuinam tamen in nos Gratiam agnoscere debemus, quae tot APOSTOLORUM et VIRO-
RUM APOSTOLICORUM *ἀνώγειάφω* non in arca, et loco secreto seposuit, sed in omnem terrarum orbem exire iussit, quae cum, stante adhuc TEMPLO POSTERIORI, pleraque, (si pauca exceperis) fuerint exarata, TEMPLI SECUNDI Gloriam supra illud PRIUS, non parum extulerunt; praesertim cum *Neui Foederis ἀνώγειάφω*, multis nominibus, *Antiquati ἀνώγειάφω*, anteferenda sint.

(a) Joh. VI. v. 35. 51. (b) Esa. XI. v. 1. (c) Num. XVII. (d) vid. Qvenstad. Syll. Theol. part. 2. p. 249. & 250. ed. noviss.

XI. Postquam sic priores, quae in SECUNDO TEMPLE desiderabantur, partes et species, commoda, ut putamus, applicatione facta, in *Templi* huius ultimis temporibus, praesentes offendimus; nobis etiam ad coetera, ordine PRIORIS *Dissertationis* obseruato, pergere concessum erit. Inter quinque uero TEMPLI POSTERIORIS defectus *Urim* et *Thummim* sese sistit, quae *Luces* et *Perfectiones* proprie sonant, erantque diuina, in duodecim gemmis, pectorali insertis, conspicua Symbola, quae, legitimo modo applicata, indicabant futura. Jam, si ad ultima TEMPLI POSTERIORIS tempora respicimus, *Summum* ibi, et *Perfectissimum* SACERDOTEM deprehendimus. Cum itaque *Urim* et *Thummim* applicatio a DEO SOLI SUMMO SACERDOTI demandata fuerit; multo magis omnium Pontificum ANTI-TYPO competebat, ut, *Urim* et *Thummim* exornatus, suae semet Ecclesiae idem exhiberet. Non iam de CHRISTI Pontificatu uerba fundimus, de quo commodior infra dicendi occasio recurret; sed tantum de *Urim* et *Thummim*, quae quidem in *Veteri Testamento distinctum* quid ab ipso Sacerdote erant, in *Nouo* autem ipse SACERDOS SUMMUS sunt. Quod enim SERuator noster *Urim*, id est, LUX, iure, meritoque appellari possit; ex SIMEONIS, qui illum, non multo post natiuitatem, uocat (a) *Φῶς eis ἀποανάλυ-
-σιν τῶν ὀφθῶν*; et ex CHRISTI ipsius uerbis liquet, qui de se proficitur: (b) *ἐγὼ εἰμι τὸ Φῶς τῆς κόσμου*. Est autem CHRISTUS, *Urim* *Φῶς*, lumen, tum ob diuinam essentiam, quia cum *Patre*, et *Spiritu Sancto* *Φῶς* *ὁμοῦ ἀπρόσβουτον*, (c) tum ob uerborum, per similia, parabolas, exempla, perspicuitatem, tum ob suorum *illuminationem*. Non modo autem CHRISTUS *Urim* est; sed quoque *Thummim*, omnium *perfectionum* fons, cum non tantum in eo, utpote DEO, omnes *perfectiones*, uel *formaliter*, uel *eminenter* conspicuae sint, sed quoque Naturae Humanae, καὶ ὑπόστασις diuiniae unitae, omnes *perfectiones* communicatae sint, adeo, ut CHRISTUS uere *perfectus*, et sine omni labe *Sacerdos* uocetur. (d) Hinc clarissima, et omnibus absoluta numeris,

C

112

(a) Luc. II. v. 32. (b) Ioh. VIII. v. 12. (c) 1. Tim. VI. v. 26.
(d) Hebr. VII. v. 26.

uaticinia, a CHRISTO profecta, leguntur, quae rerum praesentium potius *nuncios*, quam futurarum *praecones* vocaueris. Imo, si ad *Noui Testamenti* statum oculos conuertimus; non *Urim tantum* a nobis ubique, discussa *Veteris Testamenti* caligine, conspiciuntur: Sed et *Thummim* adsunt; bonaque *perfectiora*, sine omni umbra, et typo *Ecclesiae Christianae* se se insinuant. Patet ita, quod et hac ratione temporibus CHRISTI & APOSTOLORUM, et sic quoque TEMPLI POSTERIORIS nouissimis, *Urim et Thummim* usus conueniat.

XII. Ordo nos iam ducit ad שכינה, siue *diuinam praesentiam*, sub uisibilibus signis in PRIORI TEMPLO conspicuam, de qua similiter quaeritur, utrum scilicet in TEMPLO POSTERIORI quoque adfuerit? Controversiam decidit Iohannes, cum ita fatur: (a) ΕΣΚΗΝΩΣΕΝ ἐν ἡμῖν; ubi in ipsa uoce, *Graeca* licet, שכינה *diuinam praesentiam* insinuatur. Apostolus enim de Christo loquitur, eumque habitasse, non ut nudum hominem, sed ut *unigenitum PATRIS filium*, et quidem inter *Apostolos*, et omnes, quotquot in *Paestina* ultimo POSTERIORIS TEMPLI tempore vixerunt, uerbo, emphasi pleno, asseuerat. Si nunc ad שכינה TEMPLI PRIORIS respicimus, in *Symbolis externis*, qualia lux et tenebrae erant, idem istud consistebat; sed in TEMPLO POSTERIORI *Filius DEI*, in assumpta *humana carne*, comparat, et fraternum cum hominibus consortium inquit, non tero symbolis, ad terrorem constitutis, amplius delectatur. Insuper obseruamus, quod CHRISTUS, uisibiliter in his terris praesens, saepius in TEMPLO POSTERIORI ambulauerit, eum in primis etiam, ut existimamus, in finem, ut HAGGAEI de *Templi* *huius Gloria* Prophetiam impleret; et nunc demum salutare illud tempus, in quo uisibili Gratia ad *Templum* suum redire, diuinae Maiestatati placuisset, adesse testaretur. Sic *Seruator*, cum nondum bimestris esset, DEO sicut *Primogenitus* Matris suae offerendus, in *Templo* apparuit. (b) Vix duodecennis puer, ad TEM-

(a) Ioh. 1, v. 14. (b) Luc. 11, v. 22, 23, 24.

TEMPLUM suum inuisendum abreptus, citra legis mandatum, in solenni Paschatis festo, inter adiutores, quibus ex lege, *Jerosolymas* ter quotannis migrare, incumberebat, sese immiscuit, pudoremque etiam religiosi, et in lege uersatissimis Doctoribus inculsit. (a) Maxime omnium autem, in tota officii, quod obibat, sanctissimi periodo, **TEMPLUM** frequentauit, praecipuis in *solennioribus*, a **DEO** iniunctis, *Feriis*, et (quod obseruatu dignissimum est) isto, in quod passio et mors eius incidebat, tempore, indefinenter propemodum in **TEMPLI** atriis uersatus est. (b) Quo uero magis **POSTERIUS TEMPLUM** sibi de *Diuina Praesentia*, non in signis pereuntibus, sed in adsumta humana natura, resplendescente, gratulari poterat; eo feliciora eius praepriori depraedicamus tempora, utpote in quo, in *nudis tantum Symbolis, et rarius* quidem, **DEUM** praesentem pii exsculabantur.

XIII. Non autem modo *uisibiliter* **DEUS** in **POSTERIORI** **TEMPLO** *praesens* fuit; sed & *efficaciter* & *spiritualiter*. **RABINOS**, in *Dissertatione Priori* conquestos, audivimus, abfuisse a **POSTERIORI** **TEMPLO** *Spiritum Sanctum*, h. e. ut ipsi se explicant, *Prophetiae donum*. Quis uero nescit, quam maxime in *hoc ipso* **TEMPLO** uaticinandi beneficium uiguisse. **ZACCHARIAS**, (c) **SIMEON**, (d) **HANNA**, (e) **JOHANNES**, (f) maximi illius Prophetarum Praecursores erant, qui & ipsi, **SPIRITU SANCTO** moti, de futuris *Ecclesiae* fati; **MESSIA** appropinquante, uaticinati sunt. Successit **MAGNUS** ille **PROPHETA**, de quo longe antea **MOSES** (g) praedixerat, & quem in **MESSIA** futurum, *plebs religiosa* credidit. (h) **CHRISTUS** est **MAGNUS** ille **PROPHETA**, quoniam (i) supra *Consortes suos*, ad munus propheticum, quoad *humanam naturam*, **SPIRITU SANCTO** unctus est, (i) ex *propria* (2) *audioritate* ac *cognitione*, utpote **DEUS** (cui soli arcana ac futura ora) oracula fudit, omnia (3) Prophetici officii munia

C 2

imple-

(a) c. II. v. 41. (b) Luc. XXI. v. 37. (c) Luc. I. v. 67. (d) Luc. II. v. 26. & seqq. (e) ib. v. 63. (f) Matth. XI. v. 9. & Luc. VII. v. 23. (g) Deut. XVIII. v. 15. (h) Luc. VII. v. 16. (i) Esa. LXI. v. 1. & Pl. XLIX. v. 3.

implevit, nec tantum *futura* praedixit, sed & *legem*, ac *Evangelium*, imo quicquid in DEO erga miseros *Favoris* ac *Beneplaciti* est, fidelissime exposuit; additis divinae suae Doctrinae testibus, pene innumeris, *miraculis* scilicet, quae, stupentibus omnibus, edita memorantur; & denique (4) quia ipse, ab orbe condito, PROPHETAS, etiam MOSEN *miseri*, ut ita MAGNUS *Prophetarum*, summo jure ac merito suo audiat. Quae cum ita sint, Judaeorum coecitas deploranda est, qui TEMPO POSTERIORI, saltim post MALACHIAM *Prophetas* adfuisse negant; cum tamen priora *Novi Testamenti* tempora in *excellentiore gradu* PROPHETICA dici mereantur; & hoc quidem non solum ob SERVATORIS *Prophetias*, quas abunde satis *Evangelia* exponunt, sed quoque, ob *insecutos* ejus ascensionem, PROPHETAS non ita infrequentes. (a) PROPHETAE hi, vel ECCLESIAE fata in *communi*, vel alicujus fidelis in *singulari* praedixerunt, vel JEROSOLYMIS interitum minati sunt, vel suis visionibus afflictos, & persecutionem perpetientes, crexerunt, adeo, ut dono *Prophetiae* POSTERIUS TEMPLUM supra PRIUS gavifum fuisse, non abs re dicatur. Et hoc ipsum quidem suo jam aevo JOELUS praenuntiavit, asseverans, (b) fore, ut post haec (tempora scilicet VETERIS TESTAMENTI) DEUS *Spiritum* suum supra omnem carnem effundat, & gradu quidem adeo excellenti, ut filii, filiaeque prophetent, Seniores somnient, Junioresque videant visiones. Quae PROPHETAE verba, cum admodum clara sint, eorumque scopum, quilibet, qui modo praedictis caret, facile assequi valeat; mirari Judaeorum frontem satis non possumus, qui *Prophetiae* defectum in TEMPO POSTERIORI, contra haec clara JOELIS verba, asseverare non erubescunt.

XIV. Idem fere circa unctionis oleum sive instrumentum istud, sive effectum designet, inculcandum est; quando & hoc defuisse, Judaei similiter conqueruntur. Qui enim *posterius* urgent, illos ad superiorem paragraphum, qui responsum istius

(a) Aq. II. v. 27. XII. v. 1. XV. v. 23. XXI. v. 12. 1. Cor. XII. v. 28.

(b) Joel. III. v. 1. 2.

illis suppeditabit, ablegamus. Qui vero prius insinuant, (ut nobis in prima Dissertatione visum est) illis submovere quidem non possumus, fuisse in Tabernaculo & Templo primo singulare chrisma, quod Moses in peculiari lecytho, unguentis praecipuis sacerdotibus, recondi fecerat; & cujus iterata confectio privatis omnibus, loquente Scriptura, (a) interdicebatur. Vix tamen quisquam intrepide affirmabit, quod haec lecythus, in TEMPLUM POSTERIUS unquam illata fuerit, nec quisquam extiterit, qui hoc, fere inimitabile, unguentum, adhibitis, omnium, miscendorum, numero & mensura, conficere potuerit, adeo, ut POSTERIORIS TEMPLI Sacerdotes aut plane non, aut chrismate, pretio & speciebus diverso, tincti dicendi sint. Et utinque tandem de hoc quis judicet negotio, nos Sacerdotibus hinc SUMMUM illum SACERDOTEM opponimus, utpote de quo jamdudum DAVIDES vaticinatus erat: quod DEUS laetitiae oleo MESSIAM, qui cum PATRE & SPIRITU S. ejusdem divinae essentiae est. (Hinc DEUS ab eodem nuncupandus.) supra Confortes unxerit, (b) & quem ESAIAS quoque, ita loquentem, introducit, רוח ארורי יהוה עלי יען משח יהוה אתי, Domini Dei Spiritus super me est, ea propter UNXIT me Deus. (c) Unctio haec humanam seu Deitatis, naturam respiciens, a primo statim conceptionis momento incepit, & ad triplex officium, feliciter obeundem, SERVATOREM initiavit; unde & ab hoc unctiois actu, DEI & MARIAE FILIUS, Messias, Christus, Unctus, de quo in scholis suis Theologi fustus agunt, vocatus est. Atque hinc vel tribus tantum, pro instituti ratione urgemus, quod sanctum chrisma in TEMPLO POSTERIORI non defecerit; postquam ipse SPIRITUS SANCTUS istud chrisma est, quo Mundi REDEMPTOR, septuaginta ante TEMPLI POSTERIORIS vastationem annis, unctus est. Licet autem chrisma istud, cujus usus in PRIORI TEMPLO obtinebat, pretiosissimum fuerit, neutiquam tamen, & ne minima quidem ex parte,

C 3

cum

(a) Exod. XXX. v. 31. 32. 33. (b) Psal. XLIX. v. 8. (c) Eccl. LXI. v. 1. (d) B. Chemnic. tract. de duabus in Christo naturis p. 99. & Quenst. Syst. Theol. part. II. p. 310. 311. ed. noviss.

cum POSTERIORIS TEMPLI *chrismate* idem istud comparari poterit, adeo, ut vel hanc etiam ob causam POSTERIORIS TEMPLUM PRIORI palmam facile praeripiat. Addi his posset *chrisma*, quod CHRISTUS omnibus suis, qui ab ipso dicendi erant *Christiani*, (a) promeruit, & de quo JOHANNES suis, ad quos scribit, impense gratulatur: (b) ὑμῖς ΧΡΙΣΜΑ ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἀγίου; (c) sed nos potius *σημῆς mosaicae* defectus, qui in ordine SUPERIORIS DISSERTATIONIS sequitur, & cuius in TEMPLE POSTERIORI absentiam deploravimus, ad se evocat. At enim in hoc dum occupamur argumento, in NOVO TESTAMENTO similiter se nobis objicit *Tabernaculum*, cuius delineationem JOHANNES in *Apocalypsi* sua instituit, (d) Postquam enim APOSTOLUS novam JEROSOLYMAPM, de coelo descendentem, in visione spectaverat, tandem sonora, ex coelo, voce percullitur. ἰδὲ ἡ ΣΚΗΝΗ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ λαοὶ αὐτῆ ἔσονται, καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν Θεὸς αὐτῶν. Al- ludi his ad *Mosaicum Tabernaculum*, apud omnes inconfesso est; (e) ut ut non aequè constet, utrum tantum ad *regnum Glorïae*, an quoque praeterea ad *regnum Gratiae* designandum, hac allegoria vox haec sanctissima, quaecunque demum ista fuit, respexerit. Nos, si quid in re obscura definiendum sit, (salva Do- ctiorum auctoritate) τὸ σκηνὴν per locum & statum beatorum, universi fere capitis nexu, & verborum emphasi nixi, ita interpretamur, ut, ad Gratiae quoque statum notionem hanc applicantibus, nequaquam obloquamur. Instanti vero, quasi *Apocalypctica* haec verba, ad POSTERIORIS TEMPLI GLORI- AM vindicandam, nil quicquam faciant; CHRISTUM SERVATOREM nostrum opponimus qui est (f) ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, διὰ τῆς μέζονος καὶ τελειωτέρας ΣΚΗΝΗΣ, ἢ χειροποιήτου, τὸ ἔστω ἢ ταύτης τῆς κτίσεως. Splendidum enim hoc atque perfectius *tabernaculum*, quod manibus non est factum,

(a) Act. XI. v. 26. (b) Johan. II. v. 26. (c) Hoornbeck Theol. Pract. part. I. Lib. VI. c. 2. de Sp. S. unctioe p. 327. (d) Apoc. XXI. v. 3. (e) Buxtorf. Lex. Talm. p. 2397. (f) Hebr. IX. v. 11.

stium suo nobis sacrificio, POSTERIORE TEMPLO nondum destructo, SUMMUS hic omnium *Sammorum sacerdotum* SACERDOS promeruit. Atque sic *Mosaici Tabernaculi* interitus non infinitis tantum modis recuperatus, sed Templum etiam POSTERIUS supra PRIUS mirum in modum exaltatum est, postquam hujus demum aevo. *aeternum* hoc TABERNACULUM (a) *meritorie* a Christo confectum est.

XV. Cum vero insuper in MOSAICO TABERNACULO *Altare suffitum, Mensa & Candelabrum*; extra autem *Holocausti Altare* collocata fuisse, memorentur, (b) nova omnino moveri hic poterat quaestio, an non scilicet suo quodam modo in *Tabernaculo*, a SERVATORE nostro erecto, vasa istiusmodi sacra adfuerint? Nos affirmativae & hic subscribentes, non jam ad *aeternum Tabernaculum*, in antecedente § descriptum; sed potius ad ECCLESIAM, in hac terra degentem, quae *verum Tabernaculum, quod Dominus, non homo fixit*, dicitur, (c) respiciamus. Quod si igitur *Mosaicum altare* POSTERIORI TEMPLO negatum fuerit, damnum Christus largiter refarcivit, quando extra Ierofolymorum moenia, altare erexit, in quo (d) *παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς Θεοῦ καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ ἵνα ὁσμήν εὐωδίας*. Atque hinc est, quod APOSTOLUS gloriari possit: *ἔχομεν ΘΕΙΑΣΤΗΡΙΟΝ, ἐξ ἧς Θυσίαν ἐκ ἔχου ἐξ ἑστίαν, ὅτι τῆ σκηνῆ λατρεύοντες*. (e) Observari omnino hic merebitur, quod APOSTOLUS *altare nostrum altari MOSAICI TABERNACULI* opponat, et illud quidem in longe alio Tabernaculo, nimirum in Christiano, id est, Ecclesia, sepositum esse, asseveret. Nec quicquam nobis obstat, quod duplex *Ara Mosaica*, qua utraq; *TEMPLUM* adhuc *PRIUS* superbiebat, extiterit, una scilicet *holocausti*, quae ad latus extra *TABERNACULUM*, altera vero *Thymiamatis*, quae in *TABERNACULO* non procul a velo reposita erat; siquidem CHRISTUS non modo semel *ALTARE*, nimirum in suam oblationem et mortis perpeffionem, erexit; (*τῆτο γὰρ ἐποίησεν ἐφ' ἧρα*) (f) sed

(a) Luc. XVI. 9. (b) Exod. XL. (c) Hebr. VIII. v. 2. (d) Eph. V. 27. (e) Hebr. XIII. v. 10. (f) Heb. VI. v. 27.

sed et adhuc saepius *altare* erigit, in quo *θυμιαματα πολλα*,
 quæ sunt *προσευχαι*, (a) Patri suo offert. Secundum PAULI
 enim testimonium, *ΕΝΤΥΓΧΑΝΕΙ ὑπὲρ ἡμῶν*. (b) Haec vero
 Christi *intercessio*, quam *suffragium* coram DEO merito vocamus,
 cum, florente adhuc TEMPLO POSTERIORE, inceperit, &
holocausti etiam ALTARE, hujus ipsius TEMPLI tempore, in-
 liberum corporis sui *sacrificium* verus ille SACERDOS extru-
 xerit, vel hanc etiam ob causam TEMPLO POSTERIORI præ-
 PRIORI *gloriam* vendicamus. Præter duo ALTARIA, aurea-
 (2) in *Mosaico Tabernaculo* MENSA quoque asservabatur; qua
 quidem ipsa cum TEMPLUM POSTERIUS caruerit: alia tamen
 MENSA scilicet ἡ ΤΡΑΠΕΖΑ τῆς νομῆς, (c) longe supra *Mo-*
saicam æstimanda, *Priori* successit, in qua *panes faciei* repositi,
 quos Christus, & cum iis *verum* suum *corpus*, sicut cum vino
sanguinem suum, ei, qui ad hanc *Mensam* accedit, propinat.
 Haec autem *Mensa*, cum ante TEMPLI POSTERIORIS va-
 stationem & ipsa instituta fuerit; TEMPLI hujus *Gloriam* ad-
 prime adauget. Ultimum, & quod in ordine tertium est, *Mo-*
saici Tabernaculi *κεκύηλιον*, candelabrum aureum erat, quod cum
 aliis, in TEMPLO PRIORI sedulo reconditis, *Gazis* in TEM-
 PLO SOLOMONAEI (si conjecturae locus est) vastatione periit.
 Sed quanquam & hoc in TEMPLO POSTERIORI tanquam
 Typus defuerit; non tamen itidem defuit *Antitypus*, nempe
 Christus, qui *λύχνος*, & quidem celestis civitatis, in APOCA-
 LYPSI, (d) facta ad Candelabrum Mosaicum, & manifesta qui-
 dem, allusione, nuncupatur. Accedit, quod CHRISTUS, ut
 supra docuimus, lumen istud Mundi sit, quod per Verbum suum
 in POSTERIORI TEMPLO saepius luxit, adeo, ut summo jure
 Servator Ecclesiae suæ, etiam militantis, imo & ipsius hujus
 Templi lux, candela & candelabrum audiat. Imo vero, cum
 Ecclesiae quoque, quæ Johanni candelabra sunt, septem, præ-
 ipsissimo in Lychnucho Mosaico (e) candelarum numero, ap-
 pareant, (quæ Christus, si ab eo tanquam a vera luce accen-
 di renuunt, tollit (f)) & præterea plures Ecclesiae, Templo

(a) Apoc. VIII. v. 2. (b) Rom. VIII. v. 34. (c) 1. Cor. X. v. 21. (d) A-
 poc. XX. v. 23. (e) Exod. XXXVII. v. 23. (f) Apoc. I. v. 22.

POSTERIORE ad finem inclinante, surrexerint, plura quoque
istius tempore accensa fuisse *candelabra*, quorum gloria *Cande-*
labri Mosaici splendorem facile obliterabat, nemo infitiabitur.


XVI. Post *Tabernaculi Mosaici* cum monumentis, in eo
contentis, defectum in *Priori Dissertatone* etiam *Auctorum* vi-
litate[m], qui **TEMPLUM POSTERIUS** struxerant, annotavi-
mus. Verum enim vero, licet ab *Auctoribus* **TEMPLUM**
POSTERIUS Gloriam non sit adeptum; tamen, isto adhuc su-
perffite, alia *Templa*, quae ab *Auctoribus* nobilitata, & ipsum
TEMPLUM, sub cuius tempore ista extiterunt, nobilitarunt,
surrexere. Sic enim **CHRISTUS** de se ad **JUDAEOS** loquitur:
(a) *λύσατε τὸν ΝΑΟΝ τῆτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ*
αὐτόν; quod explicans *Evangelista*: (b) *ἐκείνῳ*, inquit, *ἐλέγε*
αὐτῷ τὸ ναὸν τῆ ΣΟΜΑΤΟΣ αὐτοῦ. Expresse hic **CHRISTUS**, se-
cundum *Apostoli* interpretationem, *corpus suum* **TEMPLUM**
vocat, & licet post aliquot annos illud destruendum esset,
se tamen hoc iterum *erecturum* esse praedicit; adeoque se esse
Templi sui **ARCHITECTUM**, haud obscure innuit, nimirum
terminative, quamvis opus hoc toti **TRINITATI inchoative**, ut
loquuntur *Theologi*, competat. (c) Nos tantum **Celsissimos** **CHRIS-**
TI corporis, quod **TEMPLUM** vocare voluit, *Auctores* admi-
ramur, & ignominiam **TEMPLO POSTERIORI** ab aedifica-
toribus, ad *Solomonis* fortunam non assurgentibus, illatam, e-
lui inde facile posse, existimamus. Id quod adhuc clarius pa-
tescet, si quoque ad *Templum*, quod **POSTERIORIS** **TEM-**
PLI tempore, ex parte *extructum*, ex parte *exornatum* est, de-
labemur, *Apostolumque*, **CORINTHIORUM** corda **TEMPLUM**
denominantem, audiemus: (d) *ἐκ ὀιδάτε*, inquit, *ὅτι ναὸς θεοῦ*
ἐστὶν, καὶ τὸ πνεῦμα τῆ θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. **PAULUS** hoc
loco (1) **DEI** in hominibus *habitationem* ut rem notam, suis in-
memoriam vocat; (2) *Corinthios* plures unum **TEMPLUM**, &
quidem **DEI**, habita *Auctoris*, *Possessoris*, *Restauratoris* & *Ha-*
bitatoris ratione, appellat; (3) Spiritui sancto in specie habita-

D

tionem

(a) Joh. II. v. 19. (b) v. 21. (c) Quensted. Syst. Theol. part. 2da p. 120.
ed. noviss. (d) 1. Cor. III. v. 16.

tionem in fidelium cordibus & toto Ecclesiae sinu appropriat, ex qua etiam horum Templorum extractio, Spiritui sancto approprianda, deduci facile potest. Templum hoc, de quo Apostolus loquitur, in singulari UNUSQVISQVE FIDELIUM, in communi ECCLESIA est, quae adificata est, ὄντος ἀπεργουμένης 1η98 χειρῆ, ἐν ᾧ πᾶσα ἡ ὁικοδομὴ συναζωμολογουμένη, αὐξῆς εἰς NAON ἁγίου ἐν κλέῳ, (a) sed & ἐν πνεύματι. Illud praecipuis hic annotari meretur, quod in hoc Templo idem sit *Habitator*, qui *Auctor*, cum tamen, qui *Templa Ierosolymitana* extruxerant, in istis proprie nec habitaverint, nec diu etiam frui illorum usu potuerint. Cedit autem hoc, in TEMPLI POSTERIORIS Gloriam, quod, licet contemptos in sua extruptione habuerit ARCHITECTOS, viva tamen, quae in isto extruebantur *Templa*, *Auflorem* Cellissimum, ipsum DEUM, habuerint.

XIV. Si quis ulterius instat, & ambitum POSTERIORIS TEMPLI, minimum Zorobabeliani, respectu ad PRIUS TEMPLUM habito, nimis angustum urgeat, isti respondet APOSTOLUS: (b) χειρὸς 1η98, iniquens, ἡ εἰρήνη ἡμῶν, τὸ ΜΕΕΟΤΟΙΧΟΝ τῆ Φεαγμῆ λύσας. In quibus verbis Christus, pacem inter Judaeos & Ethnicos, inter se quam maxime discerpantes, conciliaturus, (1) solvisse ac destruxisse dicitur (2) parietem intergerinum, qui conclave a conclavi, atrium ab atrio olim separabat, & (3), addita voce Φεαγμῆ, loco Φεαγμῶν τῆ μεσοτόχου, septum intergerini parietis, cum quaedam quasi *hypallage* hic nobis concipienda sit. (c) Nemo non videt, ad parietem illum, qui in TEMPLO POSTERIORI Atrium *Gentium* ab Atrio *Judaeorum* disjungebat, & veræ ECCLESIAE limites coarctabat, alludi. Cui allusioni inprimis SYRUS *Inserpens* favet; APOSTOLI verba vertens: 

solvit maceriam, quae in medio stabat Et certe Dominus noster JESUS CHRISTUS, cui ECCLESIAM, quae ex *Judaeis* aequae ac *Gentibus* colligenda erat, suo

(a) Eph. II. v. 21. (b) v. 22. (c) Eph. II. v. 14. (d) Glassii Philolog. Sac. p. 1845. ed. noviss.

suo sibi sanguine parare placebat, cruce sua omnes *ceremonias*,
onusque multiplex, cui ferendo, vix pares erant Veteris Testa-
 menti *Patres*, (a) tandem abolevit, adeo, ut ex multis grex u-
 na coaluerit. Divinam hic omnino mirari satis *sapientiam* non
 possumus, quæ, salutis illo tempore mox instante, sensim sen-
 simque *Gentiles* ad cultum suum assuefacere, atriumque ali-
 quod concedere voluit; licet illos a SANCTO SANCTORUM,
 sanctissima sede sua, admodum longinquos collocaverit. (b)
 Tandem vero, postquam (c) ὁ ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυ-
 χῶν ἡμῶν sese manifestaverat, infestum illum parietem, qui
 non tantum ab interiore DEI cognitione *Ethnicos* prohibebat,
 sed quoque nimis *angustum* veræ Ecclesie ambitum faciebat,
 destruxit, ita, ut nunc de *Gentilibus* APOSTOLUS gloriari
 possit, eos, qui *antea longe remoti fuerant*, (nimirum a SAN-
 CTO SANCTORUM, & DEI propinquiori contemplatione.)
nunc demum sanguine Christi accessisse propiores; (d) neque jam
Judeum neque Gentilem existere, sed omnes in CHRISTO JESU
unum esse. (e) Atque hoc in causa erat, cur JOHANNI, *Tem-*
ppli spirituales ambitum metienti, in mandatis dabatur: (f)
 τὴν αὐτὴν τὴν ἐξωθεν τῆς ναῦς ἐκβαλε ἔξω, καὶ μὴ αὐτὴν με-
 τεῆσθαι, ὅτι ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι, καὶ τὴν πύλιν τὴν ἁγίαν πατή-
 ρους μήνας τὸς σαράκοντα δύο. Postquam enim CHRISTUS
intergerinum parietem semel destruxit; *Atrium Gentium* non am-
 plius adest, sed est juxta *Angeli* mandatum ex Dei Ecclesia eji-
 ciendum; nec cum ea connumerandum. Si quod autem ad-
 huc est *Atrium* exterius, *Infideles Gentilium*, qui converti nesciunt,
 sed potius, ut ecclesiam pervalent & *proculcent*, omnibus con-
 tendunt viribus, istud constituere, asseveramus. Interim, quo
 plures *Ethnici*, POSTERIORIS TEMPLI tempore, ad DEUM
Israelis convertebantur, eo *longior latiorque* fiebat, si non
 TEMPLI JEROSOLYMITANI, certe ECCLESIE ambitus, adeo
 ut, tum *extensivè*, tum *intensivè* hominum, ad *Numen Propitium*,
 accessus multiplicatus fuerit.

D2

XVIII,

(a) Act. XV. v. 10. (b) Eph. II. v. 17. (c) 1. Petr. II. 25. (d) Eph. II. v. 31.
 (e) Gal. III. v. 28. (f) Apoc. XI. v. 2.

XVIII. Ignominia **TEMPLI POSTERIORIS**, qua **PRIORI** *ambitu* cessit, sic fati, ut putamus, deleta, considerandum nunc est, annon & illa ignominia, qua huic illud *divitiis*, *Pace & libertate* cedere debuit, similiter amoveri queat. In prima Dissertatione monuimus, quod omnibus, quæ optari possunt, bonis Templum **PRILLIS**, tum in *extruotione*, tum in *statu* suo abundaverit: contraria autem omnia Templum *Posterius* expertum fuerit, quod cum *sorte tenuiore, hostium profanationibus & expilationibus*, ac denique *servitute ipsa* plurimum semper colluctari debebat. Jam vero, licet hæc omnia Templo huic evenisse, negari non possit; prout ex historia, citato loco, demonstravimus: interim tamen ne hoc dissimulari potest, quod sub Templi **POSTERIORIS** *extrema tempora* omnia *spiritualiter* in melius sint conversa. Tunc enim *divitiae* sese aperuerunt, Solomonacis longe maiores, quas verbis, per quam ponderosis, **PAULUS** (a) celebrat, utpote *a Deo, in misericordia DIVITE, profectus, qui vivificaverit nos cum Christo*, eum nimirum in finem, *ut in his, quæ successerunt, temporibus, superabundantes Gratiae suae DIVITIAS, in benignitate super nos in Jesu Christo monstraret*. Hæc autem superabundantes Gratiae divinae opes, per *Evangelium* *Judæis* acque, ac *Gentilibus*, tempore, quod ultima **TEMPLI POSTERIORIS** fata proxime antecedebat, oblatae sunt; ut eapropter de se **PAULUS** (b) gloriari possit, *sibi hanc Gratiam datam esse, inter Ethnicos annuntiandi, τὸν ἀνεξίτηλον πλῆθος τῶ χριστῶ, inpervestigabiles Christi DIVITIAS*, quibus condita est ac ornata **ECCLESIA**, tanquam *Templum, Deo* gratissimum. Spirituales hi sunt thesauri, qui nec furibus in lucrum, nec hostibus in spolia cedere possunt. Neque etiam maxime memoranda hostium strages sub his ipsis de fuit temporibus, postquam, referente **APOSTOLO**, *Christus exivit Principatus & Potentias, easque exutas, palam cum libertate traduxit, & in triumphum compulit*. (c) Hostes enim, Templo corporis **CHRISTI** infesti, praesto erant innumeri, quos

(a) Ephes. II, v. 4. -- 7. (b) Ephes. III, v. 8. (c) Coloss. II, v. 15.

CHRISTUS sua divina vi & resurrectione, in qua victoriae, plenarie reportatae, demonstratio & certificatio facta est, potentissime (a) repressit. Accedit, quod isti etiam, qui ECCLESIAE vel UNICUIQUE FIDELIUM in Ecclesia imminet hostes, in hunc usque diem felicissime prosternantur, imo jam dudum CHRISTI victoria, in recessione ac divina vi prostrati sint, adeo, ut TEMPLA, quae, stante adhuc POSTERIORE TEMPLO, surrexerunt, ab hostium impetu, si non prorsus immunes, deglutiri tamen ab iisdem nequeant. Cum hac vero hostium prostratione & victoria, ab illis reportata, Templorum quoque libertatem indivulso nexu conjunctam esse, ex ipsa negotii natura atque indole patet. Ου τὸ πνεῦμα κυρίως, inquit Paulus, (b) ἐκεῖ ἐλευθερεῖται. Quoniam itaque in Templo spirituali habitat SPIRITUS S. (c) necessum quoque est, ut in isto libertas sit; libertas scilicet a lege maledicente, hostium visceribus, Gehennae motu, aliisque, quae suo loco fufius inculcantur. Si quae autem est libertas, Christiano Templo indigna, de qua Paulus (d) conqueritur, est illa carnis, non spiritus. Interim haec libertas, nimirum SPIRITUS, ut in Templo, SPIRITUI SANCTO consecrato, propria sit; hac tamen in vita perfecta dici, non meretur, siquidem in altera demum ἡ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ τῆς δόξης τέλειον τὸ θεῖον plenarie manifestabitur. (e) Opposita haec sunt Paragraphis XXI. XXII. & XXIII. SUPERIORIS DISSERTATIONIS, ex quibus TEMPLI POSTERIORIS tempora, in primis ultima, spiritualibus bonis, Divitiis, celsis ab hostibus triumphis, libertate, aliis, quibus TEMPLUM PRIUS corporaliter gavifum est, maximopere superbire; et praeter PRIORI caput quasi suum efferre, a bunde consistat.

XIX. Portui cum navis haec nostra proxima sit, ad finem tendat tandem commentatio, si modo antea de SUMMO SACERDOTE, vel tres lineas duxerimus. Ex ANTECEDENTE DISSERTATIONE sic satis percepimus, quod summi in Templo secundo sacerdotes plerumque iniuste, Antecessoribus

noini

D 3

sapius

(a) Quenst. 1. c. parte 2da p. 147. ed. noviss. (b) 5. Cor. III. v. 17. (c) 2. Cor. III. v. 16. (d) Gal. V. v. 13. (e) Rom. VIII. v. 21.

sapius expulsis, electi, impietatisque fere omnes in novissimo, ante
 destructionem, seculo rei facti fuerint. His autem Sacerdotibus
 SUMMUM illum SACERDOTEM, praecedentiū *Antitypum*, op-
 ponimus, qui non ab hominibus, (eligentibus, quales tum impii,)
 sed a DEO ipso *immediate* electus est, dicente PAULO: (a)
 ὁ Χριστὸς ἐχ' ἑαυτὸν ἐδόξασε, γενηθῆναι ἀρχιερέα, ἀλλ'
 ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν; υἱὸς μὲ ἐσὺ, ἐγὼ σήμερον γενήνηκα
 σε &c. CHRISTUS ergo est a Patre suo SUMMUS SACER-
 DOS, & quidem *solus*, exclusis ab hoc electionis modo om-
 nibus aliis *sacerdotibus*, constitutus, etiam *una* Victimā, ex-
 clusa omni annua repetitione: ἐπολλάκις προσέφερε ἑαυτὸν,
 ὡσπερ ὁ ἀρχιερεὺς εἰσέρχεται εἰς τὰ ἅγια κατ' ἐνιαυτὸν ἐν
 αἵματι ἄλλοτριῷ. Νῦν δὲ ἀπαρξ', ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, εἰς
 ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτῆ πεφανερωται. (b) Cum
 autem CHRISTUS, ut *solus* SACERDOS, ejusque Victimā *sola* i-
 λασμὸς spectanda sit, singularem eum fuisse SACERDOTEM,
 liquet, qui a reliquis *sacerdotibus* quam maxime separatus fuerit.
 Erat enim *προσαγορευθεὶς ὑπὸ τῆ θεῶ ἀρχιερεὺς κατὰ τὴν τά-
 ξιν μαλχισεδέι.* (c) Etenim τοῖς τοῖς ἡμῶν ἐπερπε ἀρχιερεὺς, ὁ-
 σιος, ἀκακος, ἀμίαντος, κερχωρισμένῳ ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν,
 καὶ ὑψηλότερον, τῶν θρανῶν γενόμενον. (d). Quod si igitur,
 contra omnes Reipublicae leges, sub ethnico dominatu, in Pon-
 tificalem dignitatem *Sacerdotes summi* intrusi sunt; quod sē
 Successores Antecessorum non expectarunt mortem; sed variis
 potius sese contaminarunt sceleribus, inter quae Messiae caedes
 maxime eminet: adest hic alius *Sacerdos*, qui a DEO consti-
 tutus, *Antecessore ac Successore* caruit, & qui ab omnibus pec-
 catoribus segregatus, vitam degit, suo munere dignissimam.
 Quaecunque ergo macula TEMPLEO POSTERIORI ab im-
 piis *sacerdotibus* inusta est, eadem iterum a N. T. SACERDO-
 TE, JESU CHRISTO absterfa penitus, atque deleta est. Illi
 Templum, DEO & JUSTITIAE consecratum, impie profana-
 runt, inter alia etiam Justitiam pervertendo, manusque
 infon-

(a) Hebr. V. v. 5. & 10. (b) Hebr. IX. v. 25. (c) Hebr. V. v. 10. (d) Hebr.;
 VII. v. 26.

infantium sanguine polluendo, hic autem iterum, iniquam sententiam tolerando, & se, suumque sanguinem injustis interfecto-ribus permittendo, POSTERIUS TEMPLUM denuo consecravit, & ab omni impuritate sordibusque repurgavit. Illi manibus, *Messiae* sanguine rigatis, sanguinem, ad Deum propitiandum, seponendum, in *sanctum* / *sanctorum* inferre, adeoq; sanctissimum hunc locum indignissimis foedare modis non dubitarunt: hic autem & hanc labem a TEMPLO abstulit, quando semel se victimam PATRI suo stitit, suumque sanguinem *εἰς χεῖρας πάντα ἅγια, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν ἕξανδρον* (a) intulit.

XX Sed ne quid reticemus, tria adhuc restare videntur, ob qua PRIUS TEMPLUM POSTERIORI praefendum esse existimavimus, extremis solummodo, quod dicitur, labris tangenda. Et, hoc supposito, TEMPLUM hocce imperfectio-nis arguimus, (1) quoniam cum Messiae morte omnes ceremo-niae, totiusque Templi apparatus, simul mortuus censendus fit, nulliusque usus, a quadagesimo ante vastationem anno, Mo-saica sacrificia in TEMPLO POSTERIORI fuerint. At enim vero sequelam hujus argumenti non omnibus modis commo-dam esse, vel inde facile patescit, quod summum potius ho-norem res ista TEMPLO POSTERIORI conciliata, quod ἀντίτυπον & πρωτότυπον sine suo complexum fuerit, & hac in parte PRIORI palmam similiter facile praeripuerit. Nec ob-stat, (2) quod PRIUS TEMPLUM sine aemulis fuerit; POSTE-RIORIS vero Gloria horum intuitu obfuscata quadantenus, atque obscurata fuerit. Adultis enim TEMPLI hujus tempo-ribus, paulo altius consideratis, ex *singulari* Dei voluntate ac-cidisse, dicendum, est, quod *Templa* aemula, TEMPLO JERO-SOLYMITANO opposita, in cultus divini *praeludium*, qui a scissi veli tempore in omni terrarum orbe esset a DEO con-cedendus, surrexerint. Hinc occasione *Templi Samaritani*, (non quidem tum extantis, sed jam dudum ab Hircano de-structi,) infert Christus (b) *γυναὶ πίσιςσόν μοι, ὅτι ἔρχεται ὡρα*

(a) Hebr. IX, v. 24. (b) Joh. IV, v. 23.

ὥρα, ὅτε ἔτε ἐν τῷ ὄρει τῷ, ἔτε ἐν ἱεροσολύμοις προσκυνήσα-
 τε τῷ πατρὶ; sed in *omni loco*. (a) Salutaris autem haec hora,
 TEMPLE JEROSOLYMITANO nondum destructo, apparu-
 it, quando soaus *Praeconum salutis* ubique terrarum auditus est,
 quo, omnes Gentes excitatae, nomen Jehovae invocare coepe-
 runt. Hinc factum, ut, POSTERIORI TEMPLE per
Romanos in favillas redacto, non iterum successerit, quod *Ter-
 tium* quoddam, idemque *ultimum* constituerit, quod momen-
 tum & hic locorum (3) fusius urgeri posset, nisi in *Prima Dis-
 sertatione*, PRIORIS TEMPLI dignitatem supra POSTERIUS
 probaturi, opera hac jam tum perfuncti fuissetus. Nostrum
 potius inpraesentiarum est, ut divinam sapientiam devoti vene-
 remur, quae, postquam sub legis jugo, oneribusque Mosaicis diu
 satis gemuerat ECCLESIA, omnia, quae libertati *Christianae*
 ultimum adpropere areritum videbantur, atque sic etiam
 TEMPLUM POSTERIUS, & quidem sine successuri *Tertii* me-
 tu, tandem abolevit. Grati capropter ad DEI thronum acce-
 dentes, sine omnibus *arriorum, velorum* & τῆ προπιλαίᾳ im-
 pedimentis, per CHRISTUM, *Propitiatorium* nostrum, DEUM
 PATREM oramus, ut cum oneribus *Mosaicis & Pontificis* a
 nostris verticibus ac humeris inposterum quoque abire jube-
 at, imo in perpetuum a nostra ECCLESIA abigat, clementerque
 efficiat, ut *unus SACERDOS, una VICTIMA, unum ALTARE,*
unum PROPITIATORIUM nobis perstet illaefum, donec
 in coelestem Jerosolymam, cuius ΝΑΟΣ ἐστὶ ὁ Θεὸς ὁ παντοκρά-
 τωρ καὶ τὸ αἰώνιον, (a) summa inter tripudia
 transferamur.

(a) Conf. r. *Timoth. II. v. 8.* (b) *Apoc. XXI. v. 27.*



AB 153000 (1)

ULB Halle 3
003 948 544




56.

VD 17







14. 15

DE

TEMPLI POSTERIORIS
PRAE PRIORI
GLORIA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO

ET
ELECTORATVS SAXONICHEREDE,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ET INDVLTV
CELEBERRIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS,

IN ACADEMIA AD ALBIM,
EIVSDEMQUE

AVDITORIO PHILOSOPHICO,

AD D. XXX. OCT. A. G. R. 1725 CCXV,

Horis Ante & Post meridiem confectis,

publice differet

PRAESES ET AVCTOR,

M. HIERONYMVS WIGAND BIEL,

LVNEBVRGENSIS,

AC RESPONDENS

THOMAS Pfüzner/ ESTHO-LIVONVS.

VITEMBERGÆ

PRELO SCHROEDERIANO, ACAD. TYP.

